


DISSE R T A T I O  
INAUGURALIS MEDICA  
DE  
**SCIRRHO, ET CANCRO**  
UTERI  
QUAM  
CONSENSU ET AUCTORITATE  
MAGNIFICI DOMINI  
PRAESIDIS, ET DIRECTORIS  
SPECTABILIS AC PERILLUSTRIS  
DOMINI DECANI  
NEC NON CLARISSIMORUM D. D. PROFESSORUM  
PRO GRADU  
MEDICINAE DOCTORIS  
OBTINENDO  
IN ALMA AC CELEBERRIMA UNIVER. HUNGARICA PUBLICAE  
ERUDITORUM DISQUISITIONI SUBMITIT  
FRANCISCUS XAV. HUBERTH.  
HUNGARUS TYRNAVIENSIS

In Theses adnexas disputabitur, in Universitatis Palatio  
dic mensis Maji 1833.

B U D A E,  
TYPIS REGIAE UNIVERSITATIS HUNGARICAE.

SEINEN  
INNIGSTGELIEBTEN ELTERN  
WIDMET  
DIESE BLÄTTER  
AUS  
UNBEGRÄNZTER DANKBARKEIT  
UND  
KINDLICHER LIEBE  
DER  
VERFASSER.



Citius namque verba, conatusque scribendi desutura  
sunt, quam ut omnia exacte, secundum omnes circum-  
stantias exprimere valeam

G Horstius Tom. II. libr. II. Observ. XLV.

---

## P r o o e m i u m.


---

**D**irissimus, quem pertractandum, pro Laurea doctoratus medici, capessenda, suscepi, morbus, frequens sexus sequioris est calamitas, summa medici attentione dignus, tanto magis, quod dolorae sit indolis, lenis, in principio fallat; difficulter cognoscatur, perverse tractetur; donec tandem miseras corporis, animique cruciatibus exhaustas, vitamque aerumnosam abhorrentes, orci faucibus tradat.

In quantum tenellae admiserunt vires, conatus sum, experientia celeberrimorum circa hoc objectum Auctorum ductus, veram morbi imaginem, ob oculos ponere, causas et eventum accuratissime notare, atque therapiam adcomodatam adjungere.

---

Ut itaque sperare mihi liceat, benevolum  
Lectorem agnitorum; — fuisse mihi saltem in vo-  
tis, boni aliquid et utilis praestandi.



AUTOR.

## D e f i n i t i o .

**S**cirrus uteri (Metroscirrhosis, Metroscirrhoma) sistit tumorem valde durum, in principio indolentem organi prolieri, cum summo in canceraticam degenerationem nisi, quae haemorragiis profusis, doloribus saevis, et profluvio foedi, summeve foetentis ichoris, omnia corroden-  
tis stipatur.

Scirrus raro integrum occupat uterus, saepissime ejus orificium; et collum afficiuntur; ratio latet in struc-  
tura, situ, et functione harum partium; vi cuius per  
eminentiam illis exponuntur influxibus nocivis, qui scirrho-  
producendo pares sunt. Evolvitur quidem et in corpore,  
ac fundo uteri scirrus, vix tamen is ita circumscriptus  
est; ut etiam reliqua uteri substantia morbose alienata non  
sit, tumida scilicet, volumine aucta; justò magis infarcta,  
aliove modo abnormiter degenerata.

Neque hae morbosae mutationes ad solum restringun-  
tur uterum, verum et partes vicinae, proxime cum utero  
nexae, aut illi adjacentes, de scirrhosa participant meta-  
morphosi, inducta partim per causas communes uteri  
scirrhum producentes, partim ut effectus organi prolieri  
degenerati, consideranda. Sic saepe tubae Falloplanae vo-  
lumine sunt auctae, induratae, versus aperturam anterio-  
rem nimium expansae, tumentes.

Ovaria nonnunquam ambo, frequentius sinistrum,  
magnum, durum, lympha consistenti, aut fluida repletum.  
Saepe contemporanea ipsa vesica urinaria praesertim in  
pariete posteriori, est morbose condensata, interstitia-

membranarum lympha coagulabili infarcta, quin imo ut Cel: a Siebold observandi occasionem habuit; concrementis calcareis provisa. Denique et urethra, uretheres, plauerenes ipsi et vagina scirrhosae indurationis participes haud infrequeenter fiunt.

### Hypotyposis

Metroscirrhosis quamdui in evolutione persistit, sacerpe praetervidetur, pro affectu innocuo, aut saltem non gravi habetur, remedii scirrho plane nou convenientibus tractatur, exasperatur, ejus in cancrum transitus acceleratur; donec tandem sepositis levibus quibus larvata fuit symptomatibus, horrida sub forma suam prae sentiam medico, et aegris, — sed nimis sero manifestet. Accedit, quod cum morbus hic in principio non tumultuarie ingrediatur, sed fallaci lenitate irrepatur, a plurimis aegrotis, instans periculum non divinantibus, negligatur, vilipendatur; et medici auxilium tunc impetratur, dum jam scirrhi in carcinoma transitus factus fuerit.

Omissis variis, ab auctoribus traditis Metroscirrhosis divisionibus, quas omnes hic exponere vetat opusculum, dissertationis inauguralis nomen gerens; scirrhi uteri descriptionem dabimus, prout is si non interrupto cursu culmen suaæ perfectionis attingit; in singulis casibus observanti semet offert.

Variam autem prachet morbus faciem, pro vario in quo versatur evolutionis gradu. Nos tria stadia statuemus, quae symptomatibus essentialibus differunt, ita; ut unius ab altero distinctio sit haud difficilis. — Itaque. *Scirrus incipiens* — *Scirrus exquisitus* — et *Cancer perfecte evolutus* — quorum quilibet alia offert symptomata, nostram hic occupabunt attentionem. Monendum tamen habemus singulum morbi stadium non

arctissimo limite ab altero separari, ut unum potius in alterum insensibiliter transeat, eaque summe cohaerentes, atque vinculo utplurimum inevitabili connexas esse, unius ejusdemque processus gradationes.

### I. Scirrhi incipientis symptomata.

Hoc est illud morbi stadium in quo proh dolor! etsi strictissimum omnium symptomatum instituatur examen, tamen morbus cum alio facillime confunditur. Est hoc morbi principium summi momenti, cum in ipso, unice si quae secus possibilis est, radicalis admittitur cura, cuius proin cognitio summe necessaria, et maxima medici attentione digna est.

Inchoat hoc morbi stadium cum anomaliis fluxus catamenialis, et quidem subinde adeo exilibus, ut attentionem medici et aegrarum effugiant, aut minus quam necesse foret aestimentur. Oritnr sensim obscurus ponderis sensus in regione uteri, qui dum aegrae sedent augetur; magis adhuc, dum stant, subinde dolor punctorius pelvum pectusve per vices trajiciens, sensus ardoris, cum stupore, et formicatione femorum semet insinuant. Mox fluxus e vagina materiae albescantis, non olentis, nec partes verendas corrodentis, aut dolores causantis, apparet, per annos saepe perstans, graviditate oborta silet. Abdomen supra regionem ossium pubis attactum dolet, qui dolor sub pressione manifeste exasperatur. Alvus morigera est adeo, ut per 4 et 5 dies nulla excernatur. Urinae profundiis tinguntur mucum deponunt, nec absque ullis molestiis mittuntur, quas tamen aegrae passim vilipendunt.

Increbescunt paulatim adducta symptomata, et nova molestiora, et momentosiora accedunt. Sensus quippe gravitatis, et pressionis, in regione uteri augetur, aegrae conqueruntur de molesta sensatione, ac si aliquid e vagina

prolabi vellet; stupor et formicationis sensus in femoribus increscunt; adsunt dolores tensivi, summe molesti in regione sacro-lumbali; vexat cephalaea dira, et tussis, praecipue ad vesperas; color faciei sit pallidior, adest summa delassatio post minimos corporis motus ad cubitum invitans, fluxus e vagina materiae albae, aut flavae, cum striis sanguineis. Maxime vero in hoc stadio attendendum est, ad systematis circulatorii exagitationem, circa tempus vespertinum praecipue ingruentem, quae sub sche-mate febriculae inflammatoriae incedens, cum aucto in utero calore, sensitatem morbose incitata, hujus organi statum inflammatum denotat, qui saepe leviior non ad-vertitur, quamvis vix non semper scirri incipientis co-mes maximum in stabiliendis indicationibus curativis re-spectum meretur.

Investigatio genitalium in hoc morbi stadio, praeter minorem harum partium tumorem, vaginae imprimis aut uteri duriusculum, inaequalem frequentissime ad uteri collum restrictum, calorem normali non raro inferiorem, et materiae effluentis conditionem, nil notatu digni ossert. Menstrua tamen frequentius ingruunt, largius fluunt, et consuetim diutius durant. Nonnunquam nulla observatur mensium anomalia, sed post quemvis celebratum coitum, sanguinis torrens ex utero prodit, absque dolore. In foeminas quae jam in annis climactericis versantur, singulo mense sanguinis profusio suboritur, per dies aliquot du-rans, fluxum catameniale dolose simulans.

## II. Scirri exquisiti symptomata.

In hac secunda morbi periodo, scirrus uteri jam clarius semet manifestat, constantibus, et essentialibus stipatur symptomatibus adeo, ut etiam a minus in arte versatis facile cognoscatur. Phoenomena vero morbosa

quae scirhum exquisitum characterisant, haec sunt: corporis universalis delassatio, et dedolatio insignis, vires adeo prostratae ut levissimorum etiam laborum perficiendorum impares reddantur aegrae, et post quemvis exiguum motum corporis, nimium fatigentur. Corporis habitus manifeste fit cachecticus, color universae cutis est luridus, terreus flavo-virescens, similis ei qui in cachexia splenica; post pertinaces febres intermittentes relicita observatur, cutis ipsa crassa, infarcta, ejus temperatura normali inferior, physiognomia tristis langvida, characteristic, verbis non exprimenda, et nonnisi foeminis metrocirrhosi affectis propria, et unica, semel visa nunquam obliviscenda, quam mihi in clinico, et divisionibus ampli nosocomii universalis Vindobonensis observandi saepius se occasio obtulit, lingua pallida, appetitus prostratus, invincibilis in somnum propensio. Regio uteri tumens dolet, adest sensus gravidinis, et ponderis molestissimus, et sensatio ac si uterus pondere majori prolaberetur. Minuitur haec sensatio sub situ aegrae in lecto horizontali, pelvi quidquam elevato, cesescit sub quavis mutatione situs, sub sessione pedibus pendulis, aut sub erecta corporis positura, et incessu, maxime vero augetur, et intollerabilis fit haec sensatio, stando, stupor et dolor summe molestus in femoribus, ad crura usque propagatus nunquam abest. His accedunt dolores saevi in regione sacro-lumbali sedem fidentes, et exinde ad regionem intrascapularem extensi tensivi, lacerantes, urentes, indomabiles, noctu praecipue irruentes, omnemque somnum arcentes. Fluxus e vagina est continuus, nunc fluidior, nunc spissior; albo-flavescens, virescens, striis sanguineis intermixtis, foetidus, acris, partes pudendas corrodens, in substratis linteaminibus maculas pertinaces relinquens. Haec materies saniosa nunc cum molestiis et doloribus, nunc absque iis fluit, augetur ejus copia motu, largissimus vero sit fluxus, intentione corpo-

ris per labores ; pulsus sanis sunt mox frequentiores, mox rariores, molles, debiles, alvus nunc diarrhoica, frequenter pertinaciter clausa, scibalosa, nonnisi summo cum aegrae nixu deponenda, cum fluxus saniosi, et dolorum exacerbatione, urinae nunc sunt turbidae sangvinolentae, nunc pallidae cum largo muco et molestiis mittuntur. Frequentes in hoc stadio quoque sunt metrorrhagiae praecipites, subinde absque ulla data ansa, alias post corporis protractos motus, post refrigerationem, animi varios affectus, et similia. Denique dysuria, et tenesmus, hoc morbi tempore frequenter observantur, tamquam effectus morbosae irritabilitatis vesicae urinalis, ipsiusve intestini recti.

Exploratione partium genitalium interna instituta; collum uteri saepe in tota sua circumferentia tumens, molle, vel nonnullis saltem in locis durum tangitur, orificio magis apertum est, et figurae irregularis. Hic status saepe per plures menses persistit, quin ipsius perfecti cancri existentiam aut primam evolutionem praedicere possimus. Degenératio scirrhosa uti jam supra attigimus non solum ad ipsum uterum restringitur, verum etiam ad tubas Fallopii, ovaria, vesicam urinariam etc: non raro extenditur, quo praecipue contribuit: morbus in principio non illico pro tali agnotus verum pro fluore albo, aut affectione alia habitus, et incongrue tractatus, a foeminis nimium pudicibus celatus, neglectus; unde morbus naturae viribus nunquam sanandus, sibi ipsimet relictus, ultius paulatim serpens, tantas devastations inducit. —

### III. *Cancri evoluti symptomata.*

In tristi hoc, et conclamato stadio sequentia observantur: pressionis, et ponderis sensus in utero, qui jam in secundo morbi gradu adeo urgebat, nunc summum at-

tingit culmen, dolores femorum deorsum ad plantas, sursum ad nucham usque protenduntur, directionem juxta dorsi spinam legentes, immanes, diu, noctuve saevientes, aegris ejulatus, et sudores frigidos extorquentes, vix inducias miseris relinquentes. Haemorrhagiae sunt crebrae, praecipites, animi deliquium inducentes, artis ope non nisi sistendae, effluxus ichoris e vagina putrescentis, grisei, hepatici, summe foetidi, partes quas permeat, arrodentis, destruentis, copia continuo augetur, quae symptomata abunde demonstrant, factum jam esse scirrhi in cancrum transitum.

In hoc rerum statu neque uteri orificium, neque collum detegi licet, sed illorum loco, uti et in vagina tangimus excrescentias cartilaginosas, striis profundis notatas, quae totam non raro replent vaginam, exque eadem protuberant. Habitus aegrarum in hac Catastrophe est nimum depravatus, emaciatus, ossa solum pelle tecta, — quamvis et haec difficulter gestant, debilitas maxima urget, appetentiae naturales omnes extinctae sunt, tussis pernicax, cephalaea vehemens, et dolores artuum, ad vesperas et noctu praecipue vexant, catamenia si non jam prius, nunc fluere cessant, aut revertuntur, sed maximis cum doloribus, somnolentia continua adest, ast vix obdormiunt aegrae, iam mox ob dolorum saevitatem evigilant (coma vigil) Evolvitur febris depascens, cum emaciatione aucta, calore vespertino siti clamosa, sudoribus colliquativis aspectu gemebundo, tristissimo pulsu frequenti, debilissimo. His accedunt ructus acidi, putridi, vomitiones, aut vomitus pertinax, cum summa anxietate; et debilitatis incremento; abdomen meteoristice expanditur, oedema, et varices crurum, paralysisque extremitatum subsequuntur, conspicitur glandularum axillarium et inginalium tumescencia, facies hippocratica, vitae faecium, desperatio.

Exulceratio cancerosa vaginalis, vesicam urinariam, intestinum rectum, quin colon ipsum corrodit, et destruit 1) sicque accidit, ut faeces, et urina foedo spectaculo per vaginalis prolabantur; dein ulcera turpia in cavo pelvis enascuntur, ossa cariosa siunt, nimiumve fragilia. (Osteopsathyrosis.) Fluxus saniosus magis fit putrescens, et foetidus. quin integrae partes desorganisati et in pultem saniosam conversi uteri secedunt, imo referunt plane observatores medici, quod integer uterus solitus a partibus cohaerentibus, per vaginalis prolapsus fuerit. Sub his circumstantiis aegris tabe confectis, placida mors, unicum sub tantis calamitatibus solatum, sinem imponit, vel praecedente effreni metrorrhagia aegrae sub animi deliquiis syncoptice pereunt; vel denique subsequis convulsionibus, tristis vitae scena clauditur.

Duratio scirrhi prout et transitus ex uno stadio in aliud est summe inconstans, citius tamen metroscirrhosis, transit in carcinoma quam scirrus mammarum, quia magis uterus adfectus, expositus est nocivis influxibus.

### Analogiae et differentiae.

Confunditur non raro scirrus uteri, pro maximo aegrum discrimine. 1) Cum graviditate, 2) cum profusa menstruatione et colica catameniali, 3) cum uteri polypo, 4) denique cum congestionibus, et intumescentia uteri innocua.

Ad ritè stabiendam diagnosim, quae si in quopiam morbo, in praesenti sane maximi est momenti, necesse erit singulorum affectuum notas, et differentias, fusius quidpiam pertractare.

---

1) Huseland's Journal der prac: Heilk: IX. Bd. 2. St. Seit. 161.

a) A graviditate dignoscitur scirrus uteri, habito ante omnia justo causarum respectu, alia enim graviditatem, alia scirrum producunt. Fluxus catamenialis in graviditate silet, vel aliquoties adhuc comparet sine doloribus, et typum regularem servat. Praesente scirro fluxus menstruus sub initio continuat, sed plerumque cum doloribus in regione sacro-lumbali, et pubis, atque sanguis vel copia exigua effluit, vel est prosluvium largissimum aegram nimipere debilitans, raro accedit, ut catamenia sub scirro emaneant. Mammæ in graviditate intumescent, sed tumor est elasticus mollis; papillæ et area notas; et graviditati proprias subeunt mutationes. In scirro, mammae vel sunt flaccidae, nullasve patiuntur mutationes, vel integræ, aut in locis circumscriptis indurantur. dolentive, porro sub scirro, regio pubis summe dolorifica est, in graviditate dolor nullus, orificio uteri quidem nonnunquam teres, collum tamen uteri semper induratum, inaequale; asperum, abnormiter constitutum, et circa finem secundi et tertii stadii, penitus consumptum. In graviditate orificio semper est rotundum, molle, indolens, sitque semper mollius, quo diutius graviditas excurrit, in principio graviditatis variae praetereunte valetudinis turbae, et sensations abnormes adsunt, quae omnia lapsu temporis disparent, et grava bene se sentit. In scirro ad initium sanitas illaesa persitat, quae tamen è magis labefactatur, quo morbus magis increscit. Denique graviditas est determinatae durationis, breviusque excurrit; ac scirrus uteri, qui per indefinitum tempus decurrens, semper longum amat progressum.

Caeterum et scirrus, et carcinoma uteri, cum graviditate complicata esse possunt, cuius exempla celleber-

rimi in arte viri Boer, Sommer et a Siebold <sup>1)</sup> referunt, Hic diagnosis difficilis est, et plurimum abortus subsequitur.

b) A profusa menstruatione, quacum scirrhos ob metrorrhagiam hunc comitantem facile confundi posset, dissent; quod huic haemorrhagiae a longo tempore dolores sacro-lumbales, et regionis pubis praecedant, ipsa cum molestiis summis, et doloribus sequatur, aliave scirrhum manifestantia symptomata praesto sint, porro sangvis cum sanie remixtus, turpis coloris, et foetidus est, denique exploratio genitalium interna scirrhosam degenerationem facile deteget, quae vix attacta, sanguinem plorare incipit, His itaque signis metroscirrhosis a profuso fluxu catameniali dignosci potest. Ast et cum colica catameniali confusio facta est, hic investigatio externa, internave, atque id medicum ducere potest; quod dolores sub fluxu menstruo periodici sint, in scirrho inconstantes, omnique die aegram infestantes.

c) A polypo uteri dignoscitur metroscirrhoma, quod in illo desit illa abnormis metamorphosis in vaginali uteri portione, haec potius quamprimum polypus per orificium uteri prodierit, mollis est, quasi disparens (verstrichen) dein indolens, sanguinem sub tactu non fundens, absentia denique foetoris proprii, et aliorum scirrho priorum symptomatum, differentiam patefacent. Nihilominus tamen nil obstat, quominus et scirrhos, et polypus uterum eodem tempore inhabitent. Cujus duo exempla refert cel: a Siebold, in utroque casu extirpatione felici cum successu facta

<sup>1)</sup> A: Elias v. Siebold's Journal für Geburtshülse, Frauenzimmer, und Kinderkrankheiten III. Bd. I. St. §. 50.—57.

est, aegrae tamen in gratiam transitus scirrhi in carcinoma obierunt.

- d) Denique facilline (intumescensia) uteri benigna (Hypersarcosis) incauto, et obiter investiganti, pro scirrho imponere posset, Haec intumescentia non raro effectus est abortus, partus praematuri, difficilis, aut etiam normalis; alias causa. 1) Consistit in abnormi sanguinis accumulatione, in substantia uteri, quo plurimum complicata est, cum adfectione haemorrhoidalii (haemorrhoides uteri) In hac adfectione collum uteri, et orificium, tumida sunt, et volumine aucta, sensum ponderis, et pressionis in regione uteri producunt, et sic saepe scirrum simulant. Persistere tamen hic affectus non raro per integrum vitam potest; absque mutatione ulteriori, quamvis tamen non raro etiam in scirrum transeat, sub medela parva, irritante, regimine diaetetico incongruo, aliisve nocivis influxibus concurrentibus. Hic itaque sollicita, et cauta investigatio; causae praegressae, et symptomatum omnium justa combinatio, medicum dirigere debent, ne falsa diagnosi stabilita adfectionem innocuam pro scirrho haheat, sique therapiam perversam adhibens, periculum et miserias, quae evitari potuissent; inducat. Plura, et laudabilia explorationis sua resultata nobis, Claris. Schmitt 2) tradit.

### A e t i o l o g i a.

Quod attinet ad causas metroscirrhosim producentes; hae innumerae fere sunt, commode tamen reducuntur ad

1) Osiander in den Göttingischen gelehrten Anzeigen, Jahrg. 1808 Seite 1294.

2) Dr W. J. Schmitt Erfahrungs resultate: über die Exploration bei dem Scirrus u. Krebse, und andern krankhaften Zuständen des uterus, in Harless Jahrbüch der deutsch. medicin, et Chirurg. Nürnberg 1815 I. Bd. Nro II.

disponentes, et excitantes. Disponunt ad scirrhum uteri diathesis propria; dicta scirrhosa, quod non rarum est observare; in una familia plures scirrhosi, a genetricibus haereditata adfici. — Largitur quoque diathesis, et morbus scrofulosus potens momentum disponens, praecipue si is ultra pubertatis periodum perdurans, naturae viribus debellari non potuit, dein dyscrasia venosa (morbus sic dictus atrabilarius) praecipue si cum scrofulosi complicata sit, ad scirrum disponit Denique foeminae melancholicae, summe irritabiles, hystericae, frequentissime uteri scirrho corripiuntur.

Ultimo adhuc qua momenta disponentia considerari merentur: ipsa arthritis splanchnica, praecipue, anomala, rheuma pertinax, chronicum; et cachexia herpetica. Syphilis inveterata aequa indurationem uteri et liuationem ejusdem inducere valet, quae tamen mercurio frequenter, haudque difficulter cedit.

Hac praesente dispositione causae excitantes, leviores quoque Scirrum producere valebunt. Ante omnia potentem prophasim sistunt laesiones mechanicae; per quas uterus, praecipue ejus portio vaginalis, premitur, contunditur, irritatur; ita ut inflammatio sequatur, quae ob praesentem dispositionem abnormem, non resolvitur; sed in lymphae exsudationem, indurationem, scirrum habet, porro pessaria male formata, inepte applicita, aut materia quapiam irritante inquinata; partus frequentes, difficiles, artificiales, forcipe peracti; cum uteri orificio pressione violenta, versiones post effluxum liquoris amnii institutae, aut quaecunque ad partum administratio, rudi, et inepta manu peracta, abortus frequens, maxime si ecbolicis provocatus fuerit, violenta placenta separatio, praecipue in partu iminaturo, aut sub situ placenta abnormi; uti super orificium uteri, masturbatio frequens maxime culis mechanicis effectuata. Praeter has causas mechani-

tas sunt adhuc aliae, chemicac praecipue, quae statum uteri subinflammatorum induentes, lentam lymphae effusionem, stases, et indurations scirrhosas inducunt, spectant huc: injectiones irritantes, adstringentes; ad sistendas metrorrhagias, aut fluorem album adhibitae, uti aquae frigidae, aceti fortis, solutionis alumnis, aut vitrioli, aquarum mineralium, ferrum continentium etc. tandem et injectiones admodam calidae.

Porro frequentes menstruorum anomaliae, maxime colicae catameniales aegram infestantes, aut menostasia post refrigerium inducta <sup>1)</sup> dein longius durans perfrigatio abdominis, in frigida atmosphaera, repentina suppressio fluoris albi diutius durantis, aut lochiorum, ipse instinctus sexualis suppressus, hinc scirrhus uteri, et mammarum, frequens apud foeminas non nuptas, sed etiam repentina a coitu antea celebrato, abstinentia, (Hofrath Jördens in Hufeland's Journal der prak. Heilk. Bd. IX St. 1. pag. 147. et seq.)

Frequens quoque et rudis coitus, polypi, aliive in utero hospitantes parasitae, in dispositis scirrum inducere valent, Denique sterilitas prolapsus uteri, eius inclinatio (Hysterolaxia) praecipue post partum permanens, vita opipara, deses, incuria, pertinaces alvi obstructions, congestiones haemorhoidales, tumores varicosi, compressio uteri arcta ab extus, metastases lacteae, animi adfectus deprimentes; timor, trititia, curae graves, atque ulti frequentes inflammations, non resolutae, sed parectamata, et scleromata relinquentes, ad metroscirrhosim invitant.

### Causa proxima.

Universim Scirri causa proxima nequid est sufficien-  
ter nota, ignoramus peculiarem conditionem, per quam

<sup>1)</sup> M. s. Beobachtung in Hufeland's Journal IX. Bd. 1. Hest.  
S. 149.

glandulae in scirrum potius; quam infarctus transeunt, neque cur scirrhosis in carcinoma transeat, quem exitum infarctus petere non solent. Nescimus cur morbus non natus ex contagio et topicus, acquirat indolem pernici-  
sam, cum maxima acredine et devastatione, Sic quoque de scirri uteri causa proxima multum disceptatum est, hodieque discepetatur. Videtur ea in inflammatione acti-  
va; aut passiva, vel stasi consistere, quo sit, ut humores  
nimis pastici, et lympha coagulabilis in parenchma uteri  
effusa, condensata, indurata, germen pro ulterius evolven-  
do scirrho ponat.

### P r o g n o s i s .

In omni scirrho generatim augurium infaustum statui-  
debet, etenim malum isthoc, plerumque partes organismi,  
ad vitam si non absolute necessarias, tamen nexu multipli-  
ci, et arctissimo cum illis conjunctas, prebendit; clandestine  
irrexit, et semel evolutum rarissime artis auxiliis resolven-  
dum, sed vel omnino faustiori si partes externas magis ple-  
tit, et non ex diathesi universali scirrhosa propululat, cul-  
tro amoveri potest vel quod frequentissime accidit, in liquati-  
onem canceraticam oxyus serius degenerans, latissime serpit,  
nulla arte domandum passim parti quam occupat, et vitae  
universae necem adducens. Accedit, quod inter tot, tanta-  
que remedia, quae inde a cognitione istius morbi ad no-  
stra usque tempora proposita, et novis augmentata sunt,  
nec unicum existat; quod tuto, et certe operari videatur.  
Jam nunc si haec de scirrho - partium etiam minus nobis-  
rium, et necessiarum valeant, quid de metroscirrhosi  
sentiendum erit, ubi organon adscitur, tam magnam in  
universam vitam potentiam exerens, quod per amplam  
suam philadelphiam, cum omnibus systematis organici par-  
tibus, in soma non minus, quam in psychen tam valide

reagit, ut non immerito a nonnullis anima mulieris nuncupetur. Quod prognosim adhuc tristiorum facit, est morbi hujus initium, tam levibus et fallacibus symptomatibus ingruens, ut ab aegris negligatur, non aestimetur; a medico non cognoscatur, pro alia affectione habeatur, incongrue tractetur, et sic morbi progressus et pericula augeantur, Denique difficilis remediorum alioquin incertorum applicatio.

Sequentia tamen momenta, faustiorem caeteris paribus prognosim admittentia, in considerationem summenda sunt: subjectum ante morbi evolutionem bene constitutum, nullis, aut non gravibus morbis tentatum, firmum plethoricum 1) non cachecticum, nimis sensile, aut exinanitum; animi pathematihus tristibus, deprimentibus obnoxium, porro laetius vaticinium statuendum est, si morbus non e diathesi universalis ortum ducat, sed mere topicus est, si illico in principio cognoscatur, debiteve, tractetur; si enim scirrhus jam exquisitus, adsit, parum speraudum est, nisi syphilis in causa sit, tunc enim mouente immortali Franki<sup>o</sup> possibilitas sanationis datur.

Pessima prognosis statuenda est, si degeneratio scirrhosa maximam uteri partem teneat, aut planc partes proxime adjacentes, in compassionem inducat. Apud foeminas non nuptas, et eas quae coitum frequentem, ad quem in principio scirrhi adeo invitantur, non celebrant, omnem noxios influxus in Aetiology adductos vitant, prognosis laetior est, quippe hic scirrhus non raro in sua evoluzione retinetur, metamorphosim canceraticam non inducit, et saepe qua talis, per integrum vitam persistit, uti id et in mamarum, glandulae thyreoideae, aliarumve glan-

---

1) Cancer in foemina plethora faciliter curatur, difficillime in melancholica. Haller in Boerhav. praeloc. acad: Tom. vj

dularum scirrho, observare non infrequenter lieet. Quamdiu fluxus menstruus continuat, praecipue apud coelibes, et foeminas steriles, melius est, quoniam hic induratio scirrhosa non semper in cancrum transit, nonnunquam post repetitum fluxum catameniale imminuitur. Si foeminae jam in annis climactericis versantur, saepe haemorrhagia, menstruum sanguinis fluxum, temporibus incertis supplet, in simili casu uterus scirrhosus non abit in carcinoma, si huic metrorrhagiae, se non associant dolores, et foetida sanguinis indoles, nihilominus tamen aegrae immoriuntur ex debilitate, per profusas haemorrhagias inducta. Similis exitus obvenit, in fungo uteri hematode.

Canero jam perfecte evoluto, nulla prorsus sanationis spes datur, aegrae ocyus, serius ad inevitabilem properant metum — Neque extirpatio partis degeneratae, vitam conservare, verum in paucis solum casibus prolongare, in longe frequentioribus, mortem accelerare solet. Graviditas non semper nocivum exserit in metroscirrhosim effectum; quoisque in evolutione perstat, nonnunquam ejus transitum in carcinoma inhibet, quid, quod scirrum plane radicus sanare possit, ut Cel. a Siebold resert, ubi scirrus in foemina quapiam nec valentissimis remediiis, nec mercurio cessit, quem graviditas, et partus matutae proliis perfecte abigerunt. Mortem vero citius inducit, graviditas in utero carcinomatoso.

### T h e r a p i a.

Priusquam indicationes curativas exponamus, illud praemittendum censemus, quod; contra nullum morbum fors, tanta, tamque diversa, sibi saepe opposita remedia adhibita fuerint, quam contra scirrum et cancrum uteri, quod abunde monstrat; naturam hujus morbi, densa adhuc caligine obvelari, Non defuerunt quoque observato-

res medici, qui varia remedia specifico agere, et scirrum uteri tuto, certe sanari posse, adfisnarunt. Sic aurum ejusve praeparata nonnulli, Calendulam Arsenicum alii, iterum plures Belladonnam, Aquam lauro cerasi, et plura alia, qua specifica decantabant, quin tamen haec adducta, plus, quam in casibus possilibus sanationem, in desperatis, nec quidem temporariam mali mitigationem inducere valuerint. Nostri itaque nunc est, haec et alia proposita remedia, horum in casibus individualibus applicationem, effectus bonos, et mala inde pendentia, curatins quidquam pensitare, — Medelam vero scirrhi uteri adgradientes, eam per singula stadia, prouti is descriptus fuit, prosequemur. Alia quippe remedia poscit scirrhus incipientis, alia Sc. exquisitus, alia denique Cancer uteri evolutus.

### I. Scirrhi incipientis medela.

Hac periodus pro curatione maximi sane est momenti, quoniam scirrus in hoc stadio, remediis est obsequiosissimus, caeteris paribus facillime sanatur, aut ulteriori ejus evolutioni obices ponit possunt. Diximus causam proximam scirrhi sitam esse, in inflammatione activa, vel passiva, aut in stasibus, hinc ergo triplicis hujus momenti respectum habentes, curam nostram accommodabimus. Ante omnia vero praesente causa, quae morbum induxit, aut sustinet, ea amovenda est, hinc quidquid premendo, distrahendo, contorquendo, irritando, in uterum agit, abigi debet, igitur pessaria male formata, inepte applicata excipienda sunt, ab ecbolicis, et emenagogis abstinentur, similiter injectiones acres, adstringentes vitandae, masturbatio, et coitus frequens interdicendus est, prolapsus et inclinatio uteri in pristinum situm reponenda, obstructio pertinax catharticis, et enematibus sol-

venda, etc. His factis evenit non raro ut morbus nec alia exposcens remedia, sub congruo reginque diaetetico vincatur, aut saltem aptae medelae facilius cedat, Quodsi vero quamvis amota causa, ut plurimum evenit, morbus tamen persitat, aut causa quamvis nota, amoveri non potest, ut coelibatus, aut animi affectus deprimentes, pertinaciter persistentes, aut plane causa non noscatur, tunc ad uteri statum pathologicum, nec non totius vitae conditionem attentionem nostram convertere, eique pro viribus obviam ire oportet. Praesente inflammatione uteri activa, (aliorum arteriosa) cum plethora universali, et statu systematis circulatorii irritativo, venaesectio omnino institui potest, plerumque vena saphaena secatur, universalem hanc sanguinis depletionem adjuvabit topica, per hirudines perinaeo, hypogastrio, aut labiis pudendis majoribus applicatas, praecipue ubi affectio localis p[ro]a universalis praevalet. Interne propinantur emulsiones nitratae, dec: Altheae, hordei remedia leniter eccoprotica; manna, oleosa, magnesia, tremor tartari, externe cataplasmata emollientia, aut ex infuso hbae: hyosciami, cum pauxillo lactis, enemata ex dec:t: emollientibus cum oleo blando, vapores similes in vaginam imissi etc.

Caeterum caute mercandum cum venaesectionibus, praecipue ubi inflammatio chronicum, — passivum, magis petit decursum, tunc omnino, non saltem superflua, sed et nociva evadit universalis sanguinis missio, hic potius eo adlaborandum, ut inflammationi in utero chronicae, per vices recrudescenti, et lymphae coagulabilis effusionem molienti, obices ponantur, quod apprime per hirudines locis supra dictis repetitis vicibus applicatas, sub singula scilicet dolorum exacerbatione, praestatur, porro remedia resolventia, exsudationem lymphae inhibentia, aut jam factam resorbentia et in circulum reducentia, recte indicantur, uti forent: mercurius dulcis, sulfur, aurat: antimonii, tartarus emetic: dosi refracta interne, externe ungvent:

neapolitanum debite temperatum. Si denique stases scirrhī causam proximam constituant; tunc sales tractrici, sulfurici, aquae minerales salinae, Selterana, Seidschützensis, sulfurea, subinde et acidulae. Thermae Carolobadenses, Nenndorfenses, Baadenses etc: quarum tamen selectus semper a medico, aegrae aetati, constitutioni, et aliis circumstantiis accommodandus est. Regimen diaeteticum applicationem dictorum meniediorum sufulcire debet. Igitur aegrae victu non nimis nutrienti, magis vegetabili utantur, potus diluentes, refrigerantes, praecipue multam aquam, si eorum digestioni non ob sit, bibant; motus corporis (non tamen excessivos) exerceant, animi denique sint hilaris, et paccati.

Ultimo denique ad indicationem curativam, hujus periodi perfecte explendam, status universalis; nunquam non memores, nos esse oportet, et latens fors diathesis scrofulosa, arthritica, syphilitica, aptis remediis, cuivis statui convenientibus, adgredienda est.

## II. Scirrhi exquisita medela.

In hoc stadio, ad resolvendam indurationem uteri scirrhosam, innumera sunt tentata remedia, passim absque fructu. Syectant huc ex regno vegetabilium acrum resolventium: Rad: Sarsaparillae in decocto, plerumque in conjunctione cum aqua Cālcis. Cicutae extractum interne, externe pulvis in sacculo gestatus, circa hujus remedii virtutem auctores discrepant, alii id prodesse, alii nil juvare, 1) tandem plane nocere contendunt alii 2)

Porro Calendula off: datur effus extract: ad drach: semis in aqua destillata solutum interne, externe injectio-

1) Oberteuer, in Hufeland's Journal der prak: Heilk. IX. Bd. 2. St. pag. 81. seq.

2) Lange. Dissertatio, circa dubia Cicutae Herlmont. 1864.

nes ex decocto herbac aut etiam extracto aqua soluto. Hoc remedium a multis qua speciem praedicatum, aliis nullos praestitit effectus. 1) Juxta Cel: Westring 2) observationes, Calendula in 1-o et 2-o stadio scirrhi, virtutis est admodum exiguae, ast in cancro uteri perfecte evoluto, calendulam qua remedium, cui nullum adhuc par inventum est, laudat. Interne extractum ejus propinat in pilulis sub hac forma: Rp. Extract: Calendulae off. tot. plant. drach. IV. sem. Pulv. ips. plantae drach. I. sem. misce. f. l. art. pil. pond. gran. 11. consp. pulv. Calend. D.s. mane et vespere a 6 — 16 paulatim ascendendo summendae. Externe injectiones ex decocto saturato cum additamento extracti, cui etiam infusum chaerophyli sylvestris utiliter admiscuit, adhibuit. Durante cura, aegrae strictissimam observare debuerunt diaetam, lacte pro maxima parte uententes. Sub hac medendi methodo, in conjunctione cum infriktione oyydi auri bis per diem in labia pudenda, ad  $\frac{1}{2}$  —  $\frac{1}{3}$  gran. partem auctor supra dictus, radicitus metracarcinoma curasse profitetur. Belladonnam quam Cel. Richter sibi laudat, saepe funestos effectus, exeruisse visum est. Aqua laurocerasi a Cel. Osiander 3) optimo cum fructu adhibita, aliis nil praestitit.

Denique ex regno vegetabili adhuc Gummi amoniacum interne, et externe; solutionis quippe ejus in aceto vapores in vaginam immissi. Sabina et multa alia acria fortiter resolventia contra scirrum exquisitum adhibentur.

1) Huseland's Journal der prak. Heilk. IX. Bd. 3. St. pag. 86.

,, Siebold's Journal für Geburtshülse, Frauenzim. et Kinderkrank. III. Bd. 1. St. S. 49.

2) Westring's Erfahrungen, über die Heilung der Krebsgeschwüre, a. d. Schwed. mit Zusätzen v. Sprengel Halle 1817.

3) Osiander in den Götting. gelehrten Anzeigen Jahrg. 1816. 15 Stück.

Ex minerali regno : Aqua calcis , aquae minerales Baadenses, Nenndorfenses, Wisbadenses, Aquisgranenses Karlobadenses ect : praeparata antimonii, mereurii, auri ; oxydum quippe, et aurum muriaticum interne et externe usitatum , limatura mart. cum sale tartari ferrum carbonicum. Arsenicum et quidem ad generosas doscs ab  $\frac{1}{8}$  —  $\frac{1}{4}$  gran. partem , ascendendo ad gran. unum et ultra de die, mirandum sane, quod a tali remedii horribilis dosi, nulli deleterii oriantur effectus , fors hoc ex quadam amalgamatione arsenici , cum principio canceroso explicari posset , uti id quoque cum mercurio in syphilide accidit. Clariss. Wenzel solut' onem arsenici Faulerianam exhibit, incipiendo cum guttis 5 ter de die. Cel. a Siebold mercurium, in stadio scirrhi inter caetera remedia adhuc optimae virtutis esse contendit. Exhibit merc. dulcem aut merc. soluble Hahnemann refractis dosibus ab  $\frac{1}{4}$  ad  $\frac{1}{2}$  gran. partem , et conjungit eum cum cicuta , aut opio tunc , ubi actio ejus in uterum est moderanda , aut si dolores vehementiores urgeant.

Externe commendantur semicupia cum infusis et decitis : hbae Hyoscyami , Cicutae , Belladonnae , aut eum hepate sulfuris parata. Prae caeteris vero laudantur injectiones in vaginam ex decitis Conii maculati Calendulae , Belladonnae , Sabinae , porro aqua laurocerasi , solutione ferri acetici , mercur. subl. corrosivi , arsenici , etc. De his vero omnibus notandum , quod in scirrho uteri perfecte evoluto , haec remedia aut plane non agant, aut vero deleterie ; irritando quippe scirrum , carcinomatis accelerant evolutionem. Itaque injectiones aut nullae faciendae , aut tantum blandissimae , ex decitis emollientibus Altheae malvae , lacte tepido , et similibus , quae in cum solum finem adhibendae sunt , at debita et necessaria in genitalibus observetur mundities.

Si haec remedia frustra tentata fuerint, praeter extirpationem uteri scirrhosi, infra attingendam quam unice ut curam radicalem: — nonnulli considerant, maximis ad laborandum est viribus, ne scirrus in cancerum transeat quod modo palliativo praestamus, sequentibus: 1-mo Régimen diaeticum adfectioni morbose sit adaequatum, per hoc enim solum subin scirri in carcinoma transitus inhibetur. Mundities adeoque debita servanda est, praecipue genitalium, contrarium enim mali exacerbationem, et cancri accelerationem promovet, dein labores et motus corporis nimii vitandi, similiter animi affectus deprimentes. Victus sit parcus, non stimulans, magis vegetabilis, absque condimentis, et aromatibus irritantibus, pro potu optime aqua convenit, vitentur vinum, potus arabicus, theae stimulantes. Denique maximus respectus habendus est alvi, quae libenter per plures dies haeret, alvus etenim dura longiori tempore in crassis intestinis, et praecipue recto morans, sanguinis debitum motum in vasis intestinalibus, et uterinis impedit, congestiones morbosas, et stases auget, sieque malum exasperat. Igitur alvus per ecoprotica, mannata, eleosa, salem Glauberi, aut enemata, sollicitanda est. Coitus strenue interdicendus hic enim frequentissime et citisse carcinoma invitat.

2-do. Ubi aegra dolores puncctorios in regione uteri, aut tensivos, et lacerantes in sacro-lumbali accusat, hirudines per vices perinaeo, hypogastrio, aut regioni sacro-lumbali adponantur, et febre praesente, potus refrigerantes, emollientes porriguntur, ut. dicta hordei, altheae, cum nitro, et oxymelle simplici. Febri abacta calomel refracta dosi exhibetur, et ad vesperas 18 — 20 guttae aquae laurocerasi. Scirrho non nimis duro, et praesente contraindicatione mercurium applicandi, solutio tartari tartarisati, cum extracto graminis, et aqua lauro-

cerasi, recte indicatur. Balnea provide adhibenda, et nonnisi semicupia, ex Decto furfurum, concedanda sunt.

3-o. Uteri abnormis positura, in situm pristinum est restituenda, ad avertendum carcinoma, cui Cel. Wenzel adhuc ulcera artificialia, aut setacea, et fonticulos, in regione exitus nervi ischiadici ex pelvi, applicare praecipit. Haec forent remedia palliativa, quae ad avertendum, et procrastinandum metrocarcinoma, in casibus non rarib[us] cum fructu in usum trahuntur.

### III. Cancri evoluti medela.

Ubi scirrus uteri in cancrum transierit, omnis sationis spes evanescit, indicationis omnis princeps scopus est, mortem procrastinare; sortem miserarum tristissimam lenire, urgentia quippe et molesta symptomata componendo. Hinc in hoc stadio, non alia, nisi symptomatica cura locuni habet. Sunt vero phoenomena morbosa quae attentionem medici exposcunt: 1-mo. Profusus fluxus materiae saniosae summe foetentis, e vagina. 2-do. Haemorrhagiae uteri effrenes. 3-tio. Dolores immanes. 4-to. Febris hectica, et tandem 5-to in quibusdam casibus vomitus pertinacissimus.

a) Ad fluxum saniosum profusum, et foetorem minuendum, injectiones instituuntur in vaginam ex decto conii maculati, porro succi dauci carotae, aut ejus decto, solutione extracti salicis in aqua calcis, aut ferri acetici, quibus injectionibus opium aut acid. muriatic. dilutum apte adduntur. Illud nonnisi adhuc hic monendum habemus, foetorem fluxus saniosi, aliis intolerabilem, aegras in sortis suae alleviationem minus afflicere, ob stupefactum nervum olfactorium.

b) Peculiarem attentionem metrorrhagiae merentur, tanto magis, quod hae prosusae, aegram insigniter de-

bilitent, et mortem syncopiam inducant, ad eas si-  
stendas, aut saltem mitigandas optime adhibetur de-  
ctum Chiae cum elixirio acid. Halleri. Etiam hiru-  
dines cum reliquo apparatu antiphlogistico proficiue-  
erunt, ubi partis cujuspiam uteri induratae inflamma-  
tio, in exulcerationem nitens, haemorrhagiae subest.  
Si metrorrhagia effrenis, vitae periculum minitans,  
suboriatur, tunc situs aegrae horizontalis jubetur, eli-  
xir. acid. Halleri, dosi majori, alternatim cum cina-  
momi, et opii tinctura exhibetur, et spongia madi-  
da, mixto, ex pulvere gummi arabici, et alumine,  
impraegnata, vaginae immititur, et utero fortiter ap-  
primitur. Etiam concentrata solutio ferri acetici, in  
simili casu commendanda est.

c) Dolores vehementissimi sopiendi sunt, hos nullum re-  
medium melius compescit, quam narcotica, et inter  
haec princeps opium, mirandum sane, quam ingentes  
aegrae doses opii perferant. Ab initio 1 — 2 grana  
opii in substantia porriguntur, aut tincturae Thebai-  
cae, Landani liquidi Sydenhami, guttas 15 ascendendo  
paulatim, cum aegrae medicamini assvesiant. Ad duas  
usque tres drachmas opii aegrac ad semel absumsere,  
absque ullo detimento. Praeter opium adhuc Hyo-  
sciamus, Belladonna, praecipue vero Aqua laurocer-  
rasi, vel cum, vel sine opio, si alvi obstipatio timen-  
da est, cum emolumento propinantur. Caeterum ta-  
men penes omnem hanc narcoticorum tolerantiam, ma-  
xima circumspectio adhibenda est, praecipue sub ini-  
tio evolutionis cancri, ubi saepe dolores punctorii,  
vehementes, calor urens, et febris; partium indura-  
tarum inflammationem, in exulcerationem transuntem  
indicant, hic porrecto opio omnia exasperantur, nam  
non pura affectio nervosa, sed status inflammatorius

- hic subest, in simili casu potius hirudines, et reliqua antiphlogistica supra adlata levamen ferent.
- d) Febris hecticae respectus habendus est. Quoniam haec liquationis cancerosae effectum sistit, non sussuratur, nisi sublata et illa, quod cum impossibile sit, patet in quantum a medicaminibus hic sperandum erit, febri hecticae oppositis. Quidquid itaque hoc sine in aegrarum salutem praestari potest, consistet in nutrientibus, facile digestilibus, medicamentis roborantibus, vitae energiam excitantibus ut: decocto Chinæ, Lichenis islandici, et similibus interpolando per vices remedia emollientia, mucilaginosa, ad effectus deleterios, a resorpto viru canceroso mitigandos.
- c) Denique frequenter, vomitus pertinax, in hac morbi periodo, misericarum cumulum auget, vires vitales exhaustit, reproductionem alioquin jam labefactatam, ad imum dejicit, et aegras vias fini proximiores reddit. Opium, Hyoscyamus interne, et externe applicata, porro potio Riveri, non semper medici expectationi satisfaciunt. In sola Belladonna interne ad  $\frac{1}{2}$  — 1 granum porrecta, vomitus adeo pervicax, potens remedium agnoscit.

### Cura Scirrhi uteri radicalis.

Cum omnia proposita remedia scirrhum rarissime, (et quidem solum in principio) radicus sanare valerent, frequentius saltem uberiorem mali progressum inhibere, ac temporariam mali mitigationem inducere, saepissime vero diro huic morbo nec obices ponere possint; observatores medici, de radicali scirrhi uteri cura cogitarunt, eamve in extirpatione uteri scirhosi se invenisse — rati sunt, 1) Ast

1) Osiander, dessen Aufsatz im Reichsanzeiger. Jahrg. 1803. N. 300. S. 3926.

, Struve, dessen Ideen über die Exstirpation des Uterus in Hufel. Journal IX. Bd. 4: St. S. 123.

et haec cradelis operatio, optato caret effectu, in frequen-  
tissimis enim casibus mortis accelerationem, in paucis vi-  
tae procrastinationem, sanationem perfectam in paucissi-  
mis inducere valet (Monrois senior, inter sexaginta ex-  
stirpationis casus, solum quatuor felices vidit.)

Ut igitur haec operatio nonnisi plurium medicorum  
consilio, aegra annuente, et sequentibus sub conditioni-  
bus, instituenda sit: 1-o Si malum mere topicum sit, a  
diathesi universalis scirrhosa non ortum, neque aliarum  
glandularum degenerationes scirrhosae adsint.

2-o Si scirrhus in evolutione versatur,

3-o Si quidem jam carcinoma ortum sumserit, ast  
durationis sit exiguae, ambitus minimi, et partes conti-  
guae, quae extirpari nequeunt, ut vagina, ovaria, tubae  
Fallopii etc. intactae manserint.

4-o Denique si febris hectica, emaciatio corporis, et  
virium magna debilitas absit.

Varias Exstirpationis uteri scirrhosi methodos hic ex-  
ponere, non ad forum nostrum pertinet, ut itaque eorum  
uberiorem explanationem Chirurgiae practicae lubentes re-  
linquamus.

## L i t e r a t u r a.

I. G. Roederer. De Scirrho uteri Goetting. 1754.

Haller. Collect. dissertat. Pr. IV. 141 —

Ejusdem comentatio de uteri scirrho Goetting. 1756.

Gassman. Dissert. de scirrho uteri. Argentor : 1758.

Krauel. Disser. de signis cancri uterini, observ. illustr.  
Jenae 1796.

Jörde n's. Uiber den Scirrhus, und Carciuom der innern  
weiblichen Geschlechtheile. Hufeland's Journal d.  
prakt. Heilk. Bd. IX. St. 1. Nro. 7.

E Wenzel. Uiber die Krankheiten des Uterus.

James Wardrop. Beobachtungen über den Fungus hae-  
matodes, oder den weiblichen Krebs a. d. Engel, v.  
Kühn Leipzig 1817.

D. J. Beyerle, über den Krebs der Gebährmutter Mann-  
heim 1817.

G. J. Odé Dissert. de scirrho et cancro uteri Bero-  
lini 1818.

Patriz E. G. Traité suc le cancer de la matrice, et  
sur les maladies des voies urinaires Paris 1820. 8.

Aus den Französisch. übersetzt Leipzig 1820. 8.

Breschet et Ferrus in Dictionnaire de medecine Tom.  
IV. Paris. 1822.

Sunt adhuc plures Auctores, qui de hoc morbo scripse-  
re, quorum nomina albo lapillo notari merentur,  
ut Cel. Pet. et J. Frank a Siebold Rust,  
Carus, Richter, Berends, et plures alii.—

